

1. Suffragia exprimuntur numeris ab 1 ad 10 cum hac significatione:

- 1-5 non probatus
- 6 probatus
- 7 bene probatus
- 8 probatus cum laude
- 9 probatus magna cum laude
- 10 probatus summa cum laude.

2. Qualitas approbationis determinatur, ubi plures sunt examinatores, deducta media arithmetica e suffragiis examinatorum; ita tamen ut si quotiens sic effectus sit numerus cum fractione, computetur numerus superior si fractio medietatem superet, secus inferior.

3. Qualitas approbationis pro singulis annis et gradibus determinatur redigendo in summam unicam omnia suffragia quae candidatus in singulis examinibus et experimentis pro eo anno vel gradu assignatis retulerit, attribuendo singulis examinibus diversos valores seu coefficientia pro cuiusque disciplinae aut experimenti momento; et summa sic obtenta dividitur per summam coefficientium; quotiens vero resultans dabit approbationis mensuram.

4. Coefficientia pro nota annua ante Licentiam haec possunt esse: a) pro disciplinis principalibus (seclusa praecipua Facultatis) et pro specialibus aut cursibus peculiaribus, coefficientens 2; b) pro auxiliaribus, generatim 1; c) pro, praecipua, sc. Philos. scholast., Theol. Fundam. et Dogmat., Textu Iuris Canonici, coefficientens aequans summam coefficientium aliis disciplinis attributorum.

5. Coefficientia ad Licentiam:

a) exercitationes practicae, coefficientens 3; disciplinae principales (seclusa praecipua) itemque speciales ultimi anni, 2; auxiliares ultimi etiam anni, 1; b) examen scriptum de quo art. 39 Ordinationum, 2; c) nota complexiva annorum praecedentium deducta iuxta normas num. 4 praecedentis, 1 pro singulis ~~annis~~ annis; d) examen de quo art. 38 Ordinationum, coefficientens aequans summam omnium coefficientium quae iuxta dicta in a, b, c. tributa sunt disciplinis, exercitationibus, annis, etc.

6. Coefficientia ad Lauream:

a) disciplinae et exercitationes ultimi anni coniunctim sumtae, coefficientens 1; b) experimentum orale art. 42 Ordinationum, 2; c) suffragium de dissertationis defensione, 2; d) suffragium de ipsa dissertatione iuxta art. 41 § 2 Ordinationum, coefficientens quod aequet summam coefficientium quae reliquis examinibus et experimentis iuxta a, b, c tributa sunt.

Summa totalis sic obtenta dividitur per summam coefficientium, et quotiens resultans exprimit qualitatem approbationis, servata regula de fractionibus de qua supra num. 2.

Hae normae fuerunt apud nos provisorie hoc anno observatae.